

## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum,  
quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in  
tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiariorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

105. Qualiter alimenta præstanta Patrono.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](#)

## Sectio I. Caput I.

*Quæstio 105. Circa alterum ac præcipuum iurius patronatus emolumennum, nimirum perceptionem alimentorum ab ecclesia in vergentia patroni ad inopiam, de quo statuitur c. quicunque. 16. q. 7. qualiter dicta alimenta praestanda?*

**R**espondeo: praestanda sunt in domo propria patrōni, & non in ipsa Ecclesia. Barb. *juris Ecclesiast. l. 3. c. 12. n. 218.* citans Rebuff. *tr. de congreua port. n. 97. Surd. de alimen. tit. 4. q. 14. n. 21.* Secundū: non solum pro eo, sed & uxore, filiis, familiā Barb. *ibid. Surd. loc. cit. q. 18. n. 18.* Grilenzon. *conf. 151 n. 25.* Tertio: *integra, scilicet cibus, potus, vestis, letus, aliisque omnia, quæ sub alimentorum nomine veniunt, si suppetat ad hanc facultas Ecclesia.* Barb. *ibid. Surd. loc. cit. q. 23. n. 12.* Quartū: *praestando ampliora & pinguiora patrono nobili quam ignobili.* Barb. *loc. cit. Surd. cit. q. 18. n. 15.*

*Quæstio 106. Quæ conditiones requirantur & justificanda sint in & à patrono, ut dicta alimenta petere, & percipere possit?*

**R**espondeo: sequentes: primū, dum in dubium vocatur per Ecclesiam seu ejus Rectorem electio & dotatio, utpote ex qua debitum illud proficiat; de hoc prius, summarie tamen cognoscendum & statuendum, et si admittantur leviores & minus concludentes probations. Lott. *l. 2. q. 5. n. 2.*

2. Secundū: ut patronus descendat à fundatore, neque enim ad patronos alios, v.g. qui ex mero privilegio, vel jure pure hæreditario, similiue alio titulo obtinuerit jus patronatus, dictus ille fructus seu jus percipiendi alimenta extenditur: ut constat ex cit. c. quicunque. Lott. *n. 4.* proinde dum de hoc dubitatur, descendencia hanc probanda; pro hoc autem sufficit quasi possessio alicuius juris, quod non possit convenire alteri persona, quam ita defendant, v.g. quasi possessio recipiendi quot annis in die purificationis candelam ab Ecclesia aliqua, dum constaret teneri talem Ecclesiam candelam istam offerre descendantibus à suo fundatore. Lott. *cit. q. 4. n. 5. juncto n. 8.* Et si enim probatio præsumptiva resultans ex hujusmodi quasi possessione non sufficiat pro decidendo principali negotio, nisi probetur aliud antecedens coadjuvans ipsum possessorum, & concurrat juris præsumptio illud approbans, ut ait Bald. *l. 2. conf. 189. n. 3.* apud Lott. *n. 6.* sufficit tamen pro summaria illa cognitione status persona in hoc judicio alimentorum. Lott. *ibid. juxta decis. Rotæ.*

3. Tertiū: ut patronus vergat ad inopiam, non quidem accipiendo de hoc nomen *inopia*, ut volunt gl. *in cit. c. quicunque. v. ad inopiam.* Azor. *l. 6. c. 20. q. 3.* Et c. pro egestate summa & arctissimā paupertate, seu prout inops in rigore dicitur; qui nihil opis habet, ut Jo. And. *ad cit. c. nobis. h. tit. n. 16.* Et egenus, qui nullius rei vel pecunia possessionem habet, ut Cagatus *observat. l. 26. c. 3.* ad differentiam pauperis, qui ita dicitur, quasi parum habens, sed pro paupertate seu egestate simplice, ita ut patronus inspecto suo statu aliquo modo egeat, hoc est, non possit se, uxorem, filios, familiam amplius congrue statui suo sustentare. Pirh. *n. 37.* Barb. *loc. cit. n. 126.* Lott. *n. 24. & 25.* citans Lamb. *l. 3. q. 3. a. 3.* Paul. *de Citadin. de jure patr. p. 6. 4. 4. n. 7.* juxta decis. Rotæ *in una Regien. Prioratus. 1. julii. 1596.* Intellige, ex bonis propriis vel aliunde; puta, ex officio vel opere, quod licite &

honestè exercere posset; Pirh. *loc. cit.* vel ut addit Lott. *n. 27. & seq.* ex recurso ad auxilium necessarium seu amicorum, ed quod inopia, quo verbo utitur textus, non tantum sit referenda ad opus seu divitias, sed & ad opem seu auxilium necessarium, & hæc demum sit egestas illa, cui illuvies seu squalor inest, seu egestas summa, de qua in l. si quis à liberis. ff. de liber. agnosc. citans pro hoc Barrol. *ibid. n. 2.* Surd. *de alimen. tit. 1. q. 54. n. 16.* Adeoque jam probandum tali non tantum, quod ex bonis propriis non possit vivere secundum gradum & conditionem suam, sed etiam, quod pro alimentis hujusmodi consequendis nullum sibi patet juris refugium adversus alios (unde nihil ageret, qui utcumque pauper, haberet fratrem divitem, vel qui esset professus Religionem); à qua consequi possit alimenta. Lott. *n. 35.* juxta decis. Rotæ *454. n. 3. p. 4. recent.*) & quod industria propriâ sibi dicta alimenta comparare nequiret, vel quod hac industria uti nequeat ob adversam valetudinem, aut simile impedimentum corporale; aut quia id repugnat honori suo; id enim absolute non posse intelligimus, quod salvâ dignitate præstare nequimus. *l. nepos. de verb. signif.* Lott. *num. 38.* Porro, cum in arbitrio judicis taxatio illa alimentorum posita sit. Lott. *n. 32. & 39.* Covar. *var. resol. l. 2. c. 6. n. 8.* Menoch. *de arbit. casu 65. n. 9.* Mareschot. *var. resol. l. 2. c. 82. n. 12.* Attentius is nihil considerare debet, quam dignitatem patroni pertinentia alimenta, ut vel secundum ejus intentionem illa taxet, vel eundem rejicit, ut qui ex propria industria viatum sibi quærere possit. Lott. *nu. 40.* Quod judicis arbitrium recte formari poterit ex iis, quæ fūsē Lott. *in n. 41.* de varia populi divisione in nobiles & plebejos: & horum in honestos & viles seu sordidos præclarè disperat; ne ut Lott. *n. 99.* patronus hujusmodi pauper jacturam sua dignitatis & honoris facere cogatur, quod fiet, ubiunque de superiori aliquo gradu in inferiorem, exercendo officium aut ministerium aliquod pro quærendo vieti se indignum, dejicitur: unde etiam limitanda indefinita illa: non est indecorum exercere artem, quam sui majores exercuerunt: ut non procedat, nisi qui rejicit ad hujusmodi artem, sit in eodem gradu & statu, in quo erant sui majores illam exercentes; secus si sit in antiquiori gradu, ita ut ei sit summa verecundia tale exercitum. Lott. *n. 101.* quietiam *n. 102.* ex Roland. *vol. 2. conf. 54. n. 76.* atq; si de exercitio alicuius artis (prout ars diltinguitur ab officio) ageretur, incumberet Ecclesia, jam onus probandi actorem callere hujusmodi artem.

4. Quartū: requiritur, ut justificet dictam inopiam seu lapsum fortunæ contingisse sibi sine sua culpa. Lott. *cit. q. 5. n. 33.* juxta decis. Rot. *in Napolitania alimentorum. 10. Aprilis. 1617.* non estenim pius, ut inquit Covar. *var. resol. l. 2. c. 16. n. 9.* sed forte impium, de rebus Ecclesiæ subvenire his, qui in paupertatem & carcerem ob propria sclera & luxum inciderunt, & ubiunque egestas ostenditur ad excusandum, non distinguitur an contigerit culpâ vel sine eâ, sed ubi ostenditur ad instruendam actionem, ita ut alteri noceat, debet probari cum hac circumstantia; quod contigerit sine culpa. Lott. *cit. n. 33.* citans Bald. *in c. que in Ecclesiæ, de constitut. n. 3.* Tiraq. *in l. si unquam. c. de revocat. donat. v. bona. n. 5.*

5. Denique cum non tenetur Ecclesia alere patronū, nisi ex bonis superfluis, sive ex iis, quæ suppetunt ultra ea, quæ necessaria sunt ad fabricæ & ministrorum sustentationem & cultum divinum: Quippe quibus ante alios ex bonis Ecclesiæ succur-